

vero nomina, qui huic nostrae donationis facto interfuerunt, subscripta continentur: Theodericus Marsbugensis episcopus, Dithmarus eiusdem ecclesiae decanus, Henricus de Grots archidiaconus, Albertus de Droize, Henricus de Korun, Albertus dapifer, Conradus pincerna, Henricus marscalcus, Conradus camerarius, Henricus de Indagine, Wrezelaus sororis nostrae filius, Hermannus de Wizenuels et alii quam plures clerici et laici.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. An einem schmalen Pergamentstreifen hängt das Reitersiegel mit beschädigtem Rande.

Wilkii Ticemannus Cod. dipl. p. 18. — Ueber die Zeitbestimmung vgl. Bd. I. S. XIX.

No. 4. 1217. 18. Aug.

Markgraf Dietrich verleiht das Patronatrecht über die Kirchen zu Gautzsch und Grosszschocher dem Thomaskloster zu Leipzig.

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Teodericus Misnensis et Orientalis marchio omnibus in perpetuum. Ne factis aut statutis nostris aliquid adversitatis in posterum temerariis occurrat ausibus malignorum, privilegiorum armis accingi contra adversantium insidias decrevimus. Hinc est quod omnibus sacri baptismatis fonte renovatis tam praesentis quam futuri temporis ad notitiam volumus devenire, quod nos ecclesias in villis Cutsez et Zsochere superiore constitutas, quarum ius patronatus ad nos fuerat legitime devolutum, ob spem remunerationis divinae de consensu heredum nostrorum coenobio sancti Thomae in Lipze, quod modis omnibus intendimus promovere, ad subsidium deo ibidem servientium libere contulimus et ex integro, ita quod earundem ecclesiarum praepositus coenobii supra memorati ius patronatus possideat in perpetuum. Si autem huic nostrae constitutioni quisquam in posterum temeritatis ausu quod absit praesumpserit obviare, sigilli nostri inpressione perspecta, qua factum roboramus et in aevum durable confirmamus, confusus resipiscat et nostram devotionem in suae salutis praeiudicium non inpugnet. Testium vero qui huic nostrae liberalitatis facto interfuerunt nomina subscripta continentur: Bruno Misnensis episcopus, Ekehardus Mersburgensis episcopus, Gerardus abbas Cellensis, Bruningus abbas de Bûch, Henricus praepositus Mersburgensis, Heinricus decanus M., Vlricus praepositus Wurcinensis, Gunzelinus decanus Misnensis, Wipertus scolasticus Misnensis, Gozwinus praepositus sanctae Aefrae in Misna, Wrezlaus filius sororis nostrae, Heinricus comes de Anehalt, ... dericus comes de Brene, Meinerus burgravius de Misna, Albertus burgravius de Aldenburch, Henricus burgravius de Donin, Henricus comes de Swarzburch, Henricus advocatus de Scudiz, Volradus de Landisperch, Fredehelmus de Povch, Otto et Bodo advocati de Ileburch. Acta sunt haec anno incarnationis domini M°.CC°.XVII°. XV°. Kal. Septembris indictione VIª. in civitate Lipze praesentibus supra memoratis.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig. An rothseidenen Fäden hängt das bis auf einige Stellen der Umschrift wohlerhaltene Reitersiegel des Markgrafen.